

ANTIQUITATES VARIÆ

293

DEO NOCTULIO
P. VIRLIUS. P. F. FAB. ASSIA-
NUS. EQUO. PUBLICO.
SACERDOS
JUVENUM. PRIXIANORUM.
ET COLLEGIUM. . .

Ad hanc Inscriptionem Sponius, *Hujus, inquit, statuam depingit Rossius cum capitis velamento sive cucullo, instar Telephori, Æsculapii comitis, digito ad aurem applicato, unde ipsum cogitationis Deum esse suspicatur; Ac siquidem noctuam avem nocturnam ad ejus pedes appingit, quidni potius nocti somnoque præsidens putemus numen, quod Noctulii nomen innuere videtur?* Hæc Sponius, cujus opinio hoc nostrò sigillò egregie juvatur; In eò enim non digitum, sed integram manum ad aurem applicat, quod dormientes facere solere, obscurum non est. At noctua, regesit ARCHÆOPHILUS, in proposito abest, & id quod sinistra gerit, licet fractum, haud obscure tamen facem prodit, qualiter in iis etiam simulacris cernimus, quæ in Tabulis Mithriacis apud Cl. Gronovium visuntur, quorum alterum Diem, alterum Noctem credi, in Spicilegio Te docere memini. Quid inde? respondit DULODORUS. Sive Noctem, sive Noctulium ibi statuas, nonne res eòdem recidit? Pro Noctulio certe etiam genus militare posset, cum masculos esse, Gronovius contra Smetium evincat? Masculos esse non negaverim, perrexit ARCHÆOPHILUS; Sed mihi in congruum videtur, cum Nox sive Noctulius iis in monumentis facem ubique deprimat, qui in proposito extollat? Et cum nec noctua adsit, quidni ritè dubitavero, an Noctulius hinc agnosci debeat? Mihi, si fateri licet, quod sentio, primo statim intuitu, non Noctulium hinc, sed Attinem me videre arbitratus sum, idque ideò, quòd simili fermè habitu, is apud Cartarium occurrat, cucullato scilicet in pallio, quod tamen in pectore & cruribus connexum est, & inde strictiore ambitu crebrisque nexibus crura involvit. Nonne tale quid etiam in hoc Tuo Noctulio visitur? Non adeò clare, respondit DULODORUS, nec adeò convenienter. Attinem & ego producā in sequentibus, ubi latior erit de eo confabulandi campus. Is sane, qui apud Cartarium proficit, non unà à proposito differentiā censetur. Pectus torques ambit, eoque pallium confringitur: In nostro Noctulio simplex nodus est. Paret inde utrinque venter & coit vestis, in Attine quidem infra membrum in duas partes scissa, quarum utraque crebris nexibus, ut dicis, crura involvit: in nostro autem unò modò, ipsi membro impositò vestis colligatur. An reliqua convenient, nec negaverim nec dixerim; ærugo aciem oculorum turbat, non tamen sine suspitione posterioris, cum haud obscura velamenti insignia etiam in cruribus occurrant. Hæc non eò dico, quòd Tuam opinionem his argumentis me everfurum sperem, sed ut aliqualem saltem differentiam ostendam. Alia & quidem potiora sunt, Manus auri imposita dormientis instar, & Facis in sinistra reliquæ, quorum neutrum utique de Attine dixeris. Quidni? exclamavit ARCHÆOPHILUS. Nonne in Manuscripto Pighiano, quod mihi ostendere dignatus es, statim ab initio Attis pinui acclinis, dextram manum sinistra auri imponit? Quod facem in Noctulio Tuo hætenus credidi, poterit fuisse Pedum, quod eodem in marmore Attini junctum cernimus. De Pedo, respondit DULODORUS, incerta disquisitio foret, quod autem ad imaginem MSti Pighiani attinet, differt manus auri imposita, eò quòd dextra sinistram, non tam autem,

(Oo) 3

quàm